



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secunda. Vtrum peccatum in Spiritum sanctum sit irremissibile.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)



rum in spiritum sanctum, quia est contra remissionem peccatorum que attribuitur spiritui sancto. Posteriores autem doctores aliter accipiunt peccatum in spiritum sanctum. scilicet quando peccatur contra appropriatum spiritui sancto, quod est bonitas. Sicut enim patri appropriatur potentia & Filio sapientia, sic Spiritui sancto bonitas, cum igitur quis peccat ex infirmitate dicitur peccare in patrem, ex ignorantia dicitur peccare in filium, cum autem ex malitia dicitur peccare in spiritum sanctum, nisi quod peccare ex malitia vel ex electione mali quod idem est contingit dupliciter. Vno modo ex inclinatione habitus vitiosi qui malitia dicitur, & sic peccare ex malitia non est peccare in spiritum sanctum. Alio modo contingit ex hoc quod per contemptum abicitur illud quod poterat peccatum impedire sicut spes premiorum, & timor suppliciorum retrahunt a perpetracione peccati. Hec autem abicitur per presumptionem & desperationem, & quia spes & timor, & huiusmodi que nata sunt nos retrahere a peccato sunt quedam dona spiritus sancti in nobis. Ideo scienter ea abicere est peccare in spiritum sanctum, & sic patet primum.

8 Circa secundum sciendum est quod peccatum in spiritu sancto primo modo acceptum scilicet pro blasphemia dicta contra spiritum sanctum unum peccatum est, nec diuiditur in illas species quas doctores assignant. Ipsum etiam acceptum secundo modo pro finali impoenitentia, sicut Aug. accipit libro de verbis domini, non est peccatum secundum se, sed circumstantia peccati que potest in quolibet peccato reperiri dum homo in quolibet peccato potest perseuerare usque ad mortem, & ideo nec sic habet species, sed est circumstantia in qualibet specie peccati reperta vel reperibilis. Sed tertio modo peccatum in spiritum sanctum diuiditur in sex species tanquam genus que sunt presumptio, desperatio, impoenitentia, obstinatio, impugnatione veritatis agnita, & inuidia fraternalis gratia, quod patet sic, peccatum in spiritu sanctum est cum ex contemptu abicitur illud quod potest hominem retrahere a peccato ut dictum est, talia autem sunt quedam ex parte dei, scilicet spes premiorum & timor suppliciorum. Primum abicit desperatio, secundum abicit presumptio. Quedam sunt ex parte donorum ipsius, quorum unum est cognitio veritatis contra quam est impugnatione veritatis agnita dum scilicet aliquis veritatem fidei agnitam gratis impugnat, aliud est auxilium diuine gratie quam impugnat inuidia fraternalis gratie, dum scilicet aliquis inuidet non solum gratie fratris, sed gratie dei crescenti in mundo. Alia duo sunt ex parte peccati, scilicet inordinatio actus cuius consideratio solet hominem inducere ad poenitentiam, quia ipsa inordinatio reddit actum turpem, & contra hoc est impoenitentia, non quidem ut dicit solum permanentiam in peccato, sic enim non est speciale peccatum, sed quedam peccati circumstantia. Sed accipitur hic impoenitentia secundum quod importat propositum non poenitendi, aliud est paruitas & breuitas boni quod quis in peccato querit cuius consideratio solet hominem inducere ad hoc quod eius voluntas in peccato non firmetur, iuxta quod dicit Apost. ad Rom. 6. Quem fructum habuistis in illis in quibus nunquam erubescitis. Et contra hoc est obstinatio per quam homo firmat propositum suum in hoc quod peccato adhaereat. Alio modo sumuntur he duae species vltimae ex parte hominis cui fit remissio peccatorum, in quo duo requiruntur, scilicet dolor de preterito, contra quod est impoenitentia, & propositum cauendi de futuro, contra quod est obstinatio: nec ista distinguuntur solum penes preteritum & futurum, sed etiam penes ea que priuant, quia impoenitentia priuat emendam, obstinatio vero cautelam.

9 Ad primum argumentum dicendum, quod sicut est vna maiestas patris & filii & spiritus sancti, sic est vnum peccatum quod committitur in quolibet trium, dum opera diuinitatis attribuuntur immundo spiritui, sicut Iudaei attribuebant expulsiōem immundorum spirituum factam per Christum Belzebut principi daemoniorum, & tunc dicitur peccatum in spiritum sanctum, accipiendo spiritum sanctum non personaliter sed essentialiter, accipiendo autem spiritum sanctum personaliter sic contingit peccare contra spiritum sanctum dupliciter, male sentiendo de persona spiritus sancti, sicut illi male senserunt qui dixerunt ipsum esse ministrum patris & filii, aut peccando contra eius ad-

tributum quod est bonitas, quod fit cum ex certa malitia peccatur. Et cum simili modo contingit peccare in patrem & filium, aut male sentiendo de persona patris aut filii, aut peccando contra eorum attributa que sunt potentia & sapientia, quod fit cum peccatur ex infirmitate vel ignorantia. Et ideo ratio falsum supponit, scilicet quod nullum sit peccatum in patrem & filium.

10 Ad secundum dicendum, quod aliquis dicitur peccare ex malitia, non quia malum sub ratione mali alicui placeat, cum hoc sit impossibile, sed quia homo non ignorans an sit malum & contra legem dei, illud quod proponitur sub specie boni, nec victus vehementia passionis absorbente ad horam iudicii rationis sponte eligit profectum aliquid delectabile non obstante quod non lateat ipsum illud esse malum & contra legem dei, iudicat tamen quod melius est legem dei transgredi, si delectatione priuari, & in hoc erratur, sed non est iste error vel ignorantia que excludit scientiam qua aliquis scit malum esse quod agitur, quomodo dicitur aliquis ex ignorantia peccare, imo talis sponte claudit oculum rationis ostendens malum esse quod proponitur ut ipsum liberius profectur.

11 Ad tertium dicendum, quod non omne peccatum mortale dicitur peccatum ad mortem, sicut de peccato ad mortem loquitur B. Ioan. est enim mors prima que est priuatio gratie per quam spiritualiter viuimus, & ad hanc dicit omne peccatum mortale, sed quia ex hac est possibilis reditus ad vitam Deo principaliter prestante remedium & homine cooperante per liberum arbitrium, ideo non quodlibet mortale peccatum dicitur peccatum ad mortem simpliciter, sed solum illud quod inducit mortem quod excludit quantum est de se reditum ad vitam. Et tale est peccatum illud quod abicit remedium per quod remittuntur peccata, ut impoenitentia, obstinatio, desperatio, & huiusmodi que sunt species peccati in spiritu sanctum, sicut & in corporalibus illa infirmitas per excellentiam dicitur ad mortem que inducit fastidium medicine.

#### QUESTIO SECUNDA.

Vtrum peccatum in spiritum sanctum sit irremissibile.

Thom. 2. 2. q. 14. ar. 3.

Secundo queritur, vtrum peccatum in spiritum sanctum sit irremissibile. Et videtur quod non, quia esse irremissibile tollit potentiam remissionis, si ergo aliquod peccatum sit irremissibile, aut negatur potentia remissionis ex parte remittentis, quod esse non potest cum potentia dei cuius est remittere peccata sit infinita ad remissionem omnium peccatorum sufficientissime se extendens, aut negatur potentia ex parte hominis remissionem recipiens, quod etiam non potest dici cum homo quoadiu est in statu vite sit capax remissionis, nullo modo ergo peccatum in spiritum sanctum est irremissibile.

2 Item potentior est virtus in bonum quam vitium in malum, sed nulla virtus in presenti confirmat hominem in bono, ergo nullum vitium confirmat in malo, sed sola confirmatio in malo impedit remissionem, quare &c.

3 IN CONTRARIUM est quod dicitur Mat. 23. qui dixerit verbum contra spiritum sanctum non remittetur ei neque in hoc seculo neque in futuro. Et arguitur per rationem, quia pro omni peccato remissibile est orandum Deum, sed pro peccato ad mortem quod Magister dicit esse peccatum in spiritum sanctum non est orandum, ut dicitur 1. Ioan. vlt. ergo peccatum in spiritum sanctum non est remissibile.

4 RESPONSIO. De peccato in spiritum sanctum an sit irremissibile varie respondendum est secundum varias eius acceptiones. Si enim vocetur peccatum in spiritum sanctum peccatum cum finali impoenitentia sicut accipitur a beato Aug. ut in precedente questione dictum fuit, sic illud peccatum dicitur simpliciter irremissibile, quia nunquam remitti potest nec in vita ista, impediendo finali impoenitentia, nec in alia quia in ea non erit status remissionis. Si autem accipitur pro blasphemia dicta in spiritum sanctum qui est primus modus accipiendi ipsum, vel pro contemptu abicente id quod possit retrahere a peccato, qui est tertius modus, sic peccatum in spiritum dicitur irremissibile, non quia omnino remitti non possit, nam & Deus



Deus potest ipsum remittere & homo ex quo in statu vie est potest se per liberum arbitrium ad remissionem preparare, sed ideo dicitur irremissibile, quia in se non habet aptitudinem ut remittatur, imò potius continet id quod contrarium est remissioni, quod patet tripliciter, primò ex causa peccandi sic, illa causa quæ nullo modo peccatū excusat, nec in toto, nec in parte, sed potius aggravat, reddit ipsum ut irremissibile, sed causa ex qua procedit peccatū in Spiritum sanctum est huiusmodi, ergo &c. Maior patet, cum enim causa ex qua peccatur excuset peccatum à toto, vel à tanto, sicut ignorantia, vel violentia passionis, eo quòd ista aliquo modo tollunt vel minuunt voluntarium, ex quo homo facilius veniam consequitur, & peccatum efficitur facilius remissibile. Vnde Apost. de seipso dicit. ad Tim. 1. misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci & per oppositum cum causa peccati nullo modo peccatum excusat, sed potius aggravat, peccatū illud potest dici aliquo modo irremissibile. Minor similiter patet, ignorantia enim & infirmitas excusant in aliquo peccatum, sed malitia vel industria ex qua peccatum in Spiritum sanctum procedit omnem excusationē tollit, & per consequens tollit aptitudinem ad remissionem.

Secundò patet idem sic, illud peccatum tollit aptitudinem ad remissionem quòd reddit hominem vix penitentem, quia ad remissionem peccati requiritur penitentia peccantis, sed peccatum quòd committitur ex certa malitia, ut est peccatum contra Spiritum sanctum reddit hominem vix penitentē, ergo &c. Maior patet, sed minor probatur, quia qui peccat per ignorantiam, ita ut ignorantia sit causa peccati transiente ignorantia penitet, ut apparet ex. 3. Ethic. si enim non penitet, ignorantia se habuit ad actum cōcomitativē, sed non casualiter, tunc enim ignorantia est causa peccati quòd homo non peccaret si non ignoraret, si quo casu cessante ignorantia est ac penitendo, similiter incontinens qui peccat ex passione, transiente passione penitet, ut patet. 7. Ethic. sed intemperatus & qui cum peccat ex electione quòd vocatur peccatū ex certa malitia, quantum est ex modo peccandi natus est semper immanere suæ electioni, ut ibidem dicitur, quia non peccavit per ignorantiam, nec impulsus passione, nec subito motu, sed sciens & eligens, & talia nata sunt durare. Ideo peccans ex electione impoenitius est & insanabilis, quantum est ex conditione peccati, quare peccatū in Spiritum sanctum & omne peccatū quòd est ex certa malitia potest dici irremissibile, quia tollit quantum est de se aptitudinem ad remissionem. Vnde Aug. in lib. de ser. domini in mōte, dicit quòd tanta est labeis huius peccati, quòd humilitatem deprecandi subire non possit, id est, vix possit.

Tertio patet idem ex obiecto peccati in Spiritu sanctum sic, sicut est in ægritudinibus corporalibus, sic est suo modo in peccatis, nam peccatum est quedam infirmitas spiritualis, sed in ægritudinis corporalibus illa infirmitas dicitur incurabilis, quæ repellit remedium curationis, puta quæ generat fastidium medicinæ quæ possit curare morbum, ergo in peccatis illud potest dici irremissibile quòd repellit remedia remissionis. Tale autem spiritualiter est peccatum in Spiritu sanctum, ut patet ex præcedente questione, ergo &c. Per hoc tamen non excluditur misericordiam & potentiam Dei via remittendi talia peccata, quæ potest omnem languorem corporalem & spiritus lem sanare pro libito.

Ad duo prima argumenta patet solutio, non enim peccatum in Spiritu sancto dicitur irremissibile simpliciter, Deus remittere non possit, aut quia homo non fit susceptibilis talis remissionis si Deus eam facere vellet. Deus enim cuiusque impoenitenti potest dare quòd peniteat, neque dicitur irremissibile, quia confirmet totaliter in malo, sed quia excludit quantum est de se aptitudinem ad remissionem ex parte causæ peccati, & ex parte modi, & ex parte obiecti, ut declaratum fuit, iuxta quem sensum intelligendum est illud quòd in contrariis arguitur ex verbo Mat. 12. quòd non remittetur, &c. quanquam secundum sententiam Chrysostomi, illud peccatum dicatur non remitti in hoc seculo nec in futuro, quia pro eo puniti sunt in præfenti per Romanos, & postea in inferno.

Quod arguitur postea quòd pro omni peccato remissibile est orandum. Dicendum quòd beatus Ioan. non

negat quin pro peccante ad mortem orandum sit, sed innuit quòd oratio cuiuslibet fratris non sufficit, unde quòd premisisset qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem petat & dabitur ei, subiunxit est peccatū ad mortem, non dico ut pro illo oret quis supple sub promissione prius facta, scilicet quòd detur ei vita merito orationis cuiuslibet fratris, imò oportet quòd sit valde magni meriti, & quòd ad hoc cōcurrat specialiter Dei gratia, sic potest convenienter dici, quantumvis illud dictum Ioannis secundum quandam expositionem glossæ, intelligatur de omni peccati mortali, sed illud omittatur, quia est præter propositum.

DISTINCTIO XLIIII.

Sententia huius distinctionis in generali & speciali.

Post prædicta considerare dignum est. Superius determinavit Magister de peccato. Hic verò determinat de potentia peccandi. Et dividitur in partes duas. Primò determinat suum intentum. Secundò continuat se ad cōsequentia. Secunda ibi, jam nunc in intelligendis. Prima dividitur in duas. Primò movet quæstionem circa potentiam peccandi, & solvit. Secundò incidenter movet quæstionem circa obedientiam quæ Prælati debetur. Secunda ibi, Hic oritur quæstio. Hæc est sententia & divisio lectionis in generali.

In speciali sic procedit Magister. Et querit primò, utrum potentia peccandi sit à Deo. Et respondet quòd quidam dicunt quòd non est à Deo, sicut nec ipsa mala voluntas. Magister verò determinat quòd omnis potentia à deo est etiā potestas peccandi: omnis enim potestas iusta est. Vnde diabolus non habet potestatem peccandi nisi à Deo. Postea querit, cum omnis potestas sit à Deo, utrum omnis qui refficit potestati semper peccet. Et respondet quòd non est obediendum potestati contra Deum. Vnde si plures diversa præcipiant semper superioribus obediendum est. Vltimò continuat se ad sequentia, & dicit quòd in libro tertio intentio est de his quæ ad verbi incarnati mysterium pertinent. Et in hoc terminatur, &c.

QUESTIO PRIMA.

Utrum potentia peccandi sit à Deo.

Circa distinctionem istam primò queritur, utrum potentia peccandi sit à Deo. Et videtur quòd non, quia perfectior est potentia cōiuncta actui, quam separata, sed Deus non est causa potentie peccandi, ut est cōiuncta actui, ut dictum fuit supra dist. 7. ergo nec est causa eius, ut est separata ab actu, & ita nullo modo.

Item si potentia peccandi inest nobis à deo, aut esset potentia naturalis, aut liberi arbitrii, aut gratiæ, sed non potest esse potentia purè naturalis, quia talibus nec meremur nec demeremur, nec lib. arb. quia sicut dicit Anselmus de libero arbitrio posse peccare, nec est libertas, nec pars libertatis, nec gratiæ quia gratia inclinat ad oppositum peccati, ergo nulla potentia peccandi inest nobis à Deo.

In contrarium est quòd dicit Aug. quòd voluntas est qua peccatur, & rectè vivitur, sed voluntas inest nobis à Deo, ergo &c.

Item Philosophus dicit in libro Topicorum qu. 1. quòd potentie malorum bonæ sunt, sed omne bonum est à Deo, ergo potentia peccandi vel malefaciendi est à deo.

RESPONSIO. Quum actus iudicet potestiam, sicut actus peccati duo includit, scilicet actū & defectum debitæ rectitudinis, sic potentia peccandi, ut sic accepta duo dicit, scilicet principium actus, eo quòd est potentia, & quòd possit deficere, quòd est peccare. Et hoc supposito dicunt quidam quòd potentia peccandi quoad primū (scilicet quòd est quedam natura principians actum) est à Deo, quia omne quòd quoquo modo participat naturā entis positivæ, oportet quòd reducat in Deum tanquā in causam primā, ipsa etiam sic accepta eadē est principium actus ordinati & inordinati: propter quod sicut potentia rectè agendi est à Deo, sic & potentia peccandi. Quantum ad secundum, scilicet quantum ad defectibilitatem non est à Deo, nec directè, nec indirectè, quòd probat supponendo secundum dictum Damasceni quòd talis defectibilitas inest